



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua  
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 6. Fortunæ inconstans cæcitas, & cœca inconstantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

quasi Palladium quoddam, quasi Dea felicitatis: sed Dea inconstans, vaga, levis.

## §. VI.

*Fortune inconstans cecitas, & ceca inconstantia.*

Itaque, sicut illa in caelo est aeterna, ita haec diaria est felicitas, & trallaticia; quae in statua sua, aurea, re ipsa vitrea est, cum splendet, frangitur. Quod testantur complures.

**Tacitus**  
3. Annal.

**Phil.**  
quod  
Deus sit  
immutabilis.

**Dio lib.**  
58.

**Senec.**  
lib. 6. de  
Beneficiis,

Tacitus ait: *Nihil rerum mortalium tam instabile & fluxum est, quam potentia non sua vix nixa. adeo, ut Fortunam citius reperias, quam retineas.* Adstipulatur Philo his verbis: *Nihil est, quod mortales tanto affectu desiderant, re ipsa nihil: sed umbra, aut aura, antequam subsistat, praetercurrens. Accedit, & recedit, Euripis, & aestibus maris similis.* Subscribit & Dio, quo teste, Seianus luculentam Fortune ludibrium, Fortunam Serui Tullij, quam domi superstitione habitam libationibus & sacrificijs colebat, repente vidit se auertentem, expertus postea, quod in imagine vidit prius. Sed ante omnes, graphicè Seneca, *Omnia, inquit, ista, quae vos tumidos, & supra humana elatos obliuisci cogunt nostra fragilitatis, quae ferreis claustris armati: quae ex alieno sanguine raptae vestra defenditis: propter quae clas-*

*ses cruentaturas maria deducitis : propter quæ  
quassatis vrbes, ignari quantum telorum in ad-  
uersos Fortuna comparet : propter quæ, ruptis  
toties affinitatis, amicitia, collegij faderibus, in-  
ter contendentes duos, terrarum orbis elisus est.*

*Non sunt vestra, in depositi caussa sunt ; iam  
iamq; ad alium dominum spectantia : aut ho-  
stilis animi successor inuadet. Sed audiamus  
iterum iudicem Augustinū, cuius hæc sunt:*

*Non nos vel filios nostros felices diuitia terrena  
faciunt : quæ nobis uiuentibus amittende sunt ;  
vel à quibus nescimus, vel fortè à quibus nolui-  
mus, possidenda: Sed Deus felices facit, qui est  
vera opulentia mentium. Verè Poëta:*

*Fortuna immeritos auget honoribus.*

*Fortuna innocuos cladibus afficit.*

*Iustos illa viros pauperie grauat,*

*Indignos eadem diuitijs beat.*

§. VII.

*Quàm misera, quàmq; periculosa sit in di-  
uitijs felicitas ?*

Quænam ergo potest esse in diuitijs feli-  
citas? Acquiruntur, non sine cura ac labo-  
re, & plerumque non sine scelere; possiden-  
tur sæpius à malis, nec sine litibus & anxie-  
tate; amittuntur cum dolore. Parum hoc  
esset, nisi etiam cum illis toties amitteretur

O

feli-

S. Aug. l.  
5. de Ci-  
uit.